)

IN
PROCESSV
IOANNIS DE BOLEA

electionis iurisfirmę, super quadam Portaria Deputationibus huius Regni.

PRO PETRO ASSENSIO.

Doctor Philippus Gazo.



QVIA omnis fere causa ista versatur circa intellectũ, & declarationem actus curiæ, *tit. de los Porteros delos Diputados, anni* 1585 ideo, solũ, omissis aliis processus huius causæ articulis 7. super eo breuiter ptopter angustias temporis, quia id mihi ita iniunctum est, insistam, incipiens, ab ea iuris constitutissima regula fœminas ad obtinẽdos magistratus munera vel officia publica inhabiles, & in incapaces esse. *Iuxta tex. illũ ordinarium, in l. Fœminæ, ff. de Regu. iu. cum nota. ibi à glo. Dec. Cagnol. & aliis, & per Panor. & DD. in c. Dilecti, ext. de arbi. in c. Dilecta. de Maio. & obe. & in c. Significauit, de Rescrip. & omissis nunc aliis per Mastril. de Magistra. lib. 1. c. 28. & lib. 2 c. 54.* & in specie circa officiũ portarij, siue ostiarij Deputationis colligitur apertè, *ex actu curiæ, tit. de porteros, fol. 79 in vol. act. cur.* scilicet ex ministeriis personalibus, quæ illi incumbunt in portãdo fasces, & in sedendo & præeundo ante ipsos Deputatos in legationibus, in executionibus etiam circa iura, & fraudes generalitatem commissas, & alia multa, quæ corporalia, vel personalia ministeria, vel munera ipsæ sexus fœminis denegat. *Vt*

 dixi,

dixit I.C. in l.3. in §. Corporalia, ff. de Mune. & hono.

2 Et consequenter licet Petro Lagassa in dicto actu curiæ, concessa fuerit facultas disponēdi de officio sue portariæ in aliã personam id quidē inteligēdũ est de persona alias habili, & idonea, quę idoneitas & habilitas supponenda est, præter id de quo agebatur, scilicet de facultate disponendi de dicto officio, quod aliàs morte extinguendum erat, nec de illo ab ipso Lagassa disponi poterat. *Iuxta act. cur. tit. que los Diputados en caso, &c. fol.* 80. & est notorium. generaleq; id est, in officiis persosonalibus. *l. Is cui, ff. de Cur. fur. l. penul. ff. de Tutel. c. Cum P. tabelio. ext. de Fi. instru. cum nota. vtrobique à DD.* notum est autem omnia supponenda esse habilia prȩter dubium de quo quæritur *l. Qui testamento, ff. de Testa. cum simi. & nota. à Ludo. Moli. de Hispa. pri. lib.* 4. *c.* 4. *nu.* 12. *& seqq.* idq; apertè supposuit idem ille act. cur. ibi: *Pues las tales nominaciones*, de quibus verbis inferius ad aliud agam, num. 13.

3 Neq; obstat, id in quo tota vis & difficultas in vocis informationibus constituebatur, scilicet, consuetudo Deputationis, vel stylus, ex aduerso allegatus, deseruiendi, vel exercendi officia, portariorum ipsius Deputationis, per locumtenentem, vel substitutum, accedente ipsorum Deputatorum consensu, quo casu ex aduerso dicebatur, suppleri sexus fœminei defectum, Annæ Mariæ Lagassa, in quam, eius pater, in suo testamento disposuit. *Ad quod allegantur auctoritates nonnulle, vt Alex. consi. 160. vol. 2. Alciat. consi. 203. & illa loca Mastril. & Perei. syntag. iuris emphyteu. lib. 3. c. 15. & Manti. de Taci. conuentio. lib. 3. tit. 19. & Menoch. consi. 204.*

4 Sed certè, vt in vocis informationibus pro hac parte replicabatur, & ego multũ insistebam, in quo videlicet consistere videtur, huius causæ conclusio, & decisio: id videlicet, quod de facultate inseruiendi per substitutum dicitur, etiam casu quo ea facultas in præsenti verificaretur, cum Deputatorum consensu, de quo in præsenti constare prohac parte negari existimo: id inquam, procedere & intelligi, dũmodo in persona principali, cui dandus est substitutus non detur ad officium obtinendum inhabilitas, saltem perpetua, vel insanabilis, sicut est

est inhabilitas à sexu fœmineo proueniens, de qua in præsenti, vt dictum est, in quibus terminis non procedit consuetudo vel stylus prædictus, similis enim casus nusquam relatus in hoc Regno, nec receptus est. *Ut dicebat in simili Iure Cōsul.in l.1. ff. de Senato.* neq; in his etiam terminis loquuntur DD.in contrarium allegati.

5 Nam in primis *Alex. in illo consi.160. vol.2. Alciat. consi.203. Menoch.204.* nihil in proposito dicūt, neq; aliàs, quod obstare posit.imo Alex. dum de priuilegio, vel beneficio contra ius concesso strictè interpretando dicit, pro hac parte facit. *Cum his etiam quæ ad l.Beneficiū, ff.de Consti. prin. notarunt DD. ibi, & in c. Cum dilecti, ext. de Dona. & in l. Si quando, in prin. C.de Inoffi.test. ab ipso Alex.commemorata.* vbi est etiam pulcher textus ad id quod antea dicebatur, de supponenda habilitate personæ in illo act.cur. 1585. vel illa sublata, non censenda, ex licentiæ vel facultatis concesione, disponendi de officio portariæ, vt id sufficiat, cum aliàs nō liceret, absq; eo quod requisitum habilitatis tolli intelligeretur, *conferunt notata per Menoch. de Arbitrà. lib. 1. quæst.7. nu.39. & 40.*

6 Neq; in his etiam terminis obstare potest *Mastril. dictis locis. neq; etiam Perei. in illo c.15. nu.22. lib.3. Syntag. iuris emphy.* Quinimo, pro hac parte facit. cū in terminis in quibus loquitur, cuidam stylo vel consuetudini, peculiari innitatur, supponens contrarium, aliàs de iure respondendum esse. *Vt etiam supponit apertè Valas. in illa consulta. in vocis informationibus allegata 129. nu.11. & 12. tom.2.* vbi est locus ad hoc propositum notabilis, magisq; illæ alius, *Marini Freccia de Snbfeu. Baro. lib.2. q.50.* quia meminit etiam quod aliquando substituatur, nisi expresè in concesione de fœmina etiam diceretur. Et certè videntur loca huius causæ decisiua, ad interpretationem illius act.cur.1585. de quo agitur, vt in facultate disponendi ibi concessa de dicto officio portariæ, cum de fœmina non exprimatur, de illa intellgi nō posse, omnino dicendum esse videatur. Sicut etiam peculiari consuetudine nititur, quod *in Obser.fin.de Procurà.fol.5.* de officio procuratoris dicitur, præter id quod illud officium

non

non est publicum, sicut hoc de quo hic agitur, in quo maior, est in ipsa fœmina incapacitas, & inhabilitas, iuxta supra dicta cui quia in vocis informationibus mauauit illius sermo in Consilio, sic respondetur.

7 Prædictorumq; ratio diuersitatis, est manifesta, ad hoc enim vt locumtenens, vel substitutus dari possit necessariò præsuponendum est fundari, vel radicari officium posse, in persona illius, cui substitutus, vel locumtenens datur, absurdissimum enim esse videretur, dari personam repræsentantem, absq; repræsentata, vel plus posse personam ipsam repræsentantem, quam persona ipsa repræsentata posset. *Iuxta nota per Bal. in l. parabolani C. de episc. & cle. Dec. in c. decernimus col. 3. de iudi. Marsil. singula. 553. Plate. in l. 1. per illum tex. C. de agen. in reb. lib. 10. & his relatis in optimo proposito Doctor de Ribas in allega. impres. causæ Proregis extra. pagi. 11.* verificaturq; vulgare illiud, non iacto fundamento, nihil super vificari possit, *can. cum Paulus, 1. q. 1. l. fluminum, §. an vitium ff. de dam. infec.*

8 Mireq; etiam applicantur quæ dicunt DD. in subrogationis materta, de subrogato, vt esse debeat, eiusdem iuris, & conditionis, cuius est ille in cuius locum subrogatur, & talis, qui à principio potuisset ad eundem actū, vel ad idē officium, eligi (sic apertè, & à fortiori, id quod hic dicitur supponentes) *vt per Euerar. in lotis legā. in loco à subrogatione, vers. hinc etiam est. allegans, ita singulariter Baldum dicere in illa l. Parabolans, per illum tex. ad hoc aureum ab ipso Bald. reputatatum C. de Episc. & cle.* & eodem illo in loco, Euerar. exēpla proponit quæ id confirmant, *nec omittendus in proposito Dec. in l. si eadem num. 8. ff. de offi. asse. & notata per Ias. in §. fuerat, num. 18. instit. de actio. Afflic. decis. 336. confert Bellug. Rub. 1. num. 8. & Rub. 25. num. 3.*

9 Quæ maximè in terminis casus præsentis verificantur, inhabilitatis videlicet ad officium, vel incapacitatis, perpetuæ, vt supra dicebam, & insanabilis, cum nullo vnquam tempore, possit dari sexus permutatio, neque transmissio, vel repræsentatio. *Iuxta nota. per Bart. in l. liberorum num. 13. ff. de verbo. signifi. ab alijs receptum,*

tum, vt per fulgo. & Alex. num. 5. Ias. num. 6. Dec. num. 7. & alios, in l. venia, C. de in ius vocan. Craue. consi. 108. num. 1. Cephal. cons. 13. num. 9. & alios ad hoc relatos, per Ludoui. Moli. Hispa. pri. lib. 3. c. 6. num. 49.

10 Quomodo inter alia, respondebam, ad illam instantiam impuberis, quæ in vocis informationibus in contrariũ reddebatur, adhibita ponderatione, *vers. item impuberes, illius l. fœminæ*, quasi Iure consultus, intellexerit, eiusdem iuris & rationis esse, impedimentum ab ætate proueniens, sicut illum quod â sexu prouenit, subnectendo continuò impedimentũ ætatis, in illo vers. Item impuberes, cum impedimento sexus, de quo in prin. illius, l. fœminæ. Quia præter id, quod etiam prætendi posset, supponendam quoq; esse habilitatẽ personæ ratione ætatis, in illo actu Cur. 1585. de quo agitur: *per supradicta, & ex nota. à Dec. omnino viden. in eodem illo vers. vel §. Item impuberes, illius l. fœminæ. nu. 3. & per eundem Dec. in l. fi. num. 7. C. de pac.* vt videlicet, impubes eligi non possit ad officium, etiam collato exercitio in tempus ætatis habilis, si officium de præsenti administrationem habeat, vel exercitium requirat. *Vt non obstentea quæ scripsi in allega. impres. pro D. Martino ab Aragonia, num. 84. & seq.*

11 Præter id inquam, diuersitatis ratio, inter impedimentum ab ætate proueniens, vel à sexu, est manifesta, cum illud temporale sit, & tempore sanabile: contra autem in sexus impedimento, qui nec permutari vnquam, nec transmitti, neque etiam representari potest vt dictum est. Quod nõ ignorabat Iureconsul. in d. l. fœminæ, sed ideo solum, post impedimentum sexus de quo primo dixit, continuò in vers. vel §. Item impuberes, impedimẽtum ætatis subiunxit, tanquam simile, licet non omnimodo, saltem in genere impedimenti. Cõfert illud, quod in iure dici solet, sufficere similitudinem in proposito, licet non ex omni parte, *glos. fi. vbi DD. in l. si mihi, 92. ff. de solutio. cum nota. per Manti. de coniectu. vlti. vol. lib. 12. tit. 13. num. 8.*

12 Confirmaui etiã prędicta, illo nostro aduocatorum Regni, simili, in quo, licet admitti substitutus soleat, id qui-

dem, quia præſuponitur radicatio, & fundamentum, ipſius officij in perſona illius cuius ſubſtitutus admittitur, & adhuc quidem, quod multum in vocis informationibus ponderandum eſſe dicebã, non datur nec permittitur aduocatis Regni, ſubſtitutus, niſi ipſi prius perſonalirer ad conſiſtorium deputationis accedant, & ibi ſolitur iuramentum præſtent. Quæ omnia repugnant, fœminis, quæ, in illis, vt notum eſt non ſunt practicabilia.

13 Nequè prædictis omnibus, obſtare dixi, illud quod ingeniosè, quidem & ſubtiliter, in vocis informationibus replicabatur, ex illius actus cur. 1585. verbis illis: *Pues las tales nominationes ſean en perſonas benemeritas a ſatisfacion y guſto de los Diputados, &c.* Quaſi qualitas perſonæ nominandæ, ſatisfactioni & placito Deputatũ relicta fuerit. In quo, quærendum eſſe dicebatur, an Deputatorũ ſatisfactio, vel placitum, informandum eſſet vel regulandum, à iure, vel idoneitate perſonæ, aut habilitate à iure requiſita: an verò, à volũtate, vel libero arbitrio ipſorum Deputatorum. In quo, in primis, illud reſpondendum eſſe videtur, verba illa, *ſatisfaciõ y guſto, quæ latinè ex materia ſubiecta, ad ſatisfactionẽ vel placitũ vertuntur,* non liberũ, vel abſolutum arbitriũ ſed potius à iure regulatum importare, *vt ex Barba. conſ. 35. vol. 2. Pariſ. cõſ. 71. n. 18. vol. 2. Craue. conſ. 105. & alijs, ſcribit, Menoch. de arbitra lib. 1. q. 8. n. 10. & 11.* Quod per ſe ſufficere videtur, ad tollendum dubium prædictum.

14 Sed certè, amplius & ſubtilius, in vocis informationibus, obſeruandum eſſe dicebã, verba illa, addita fuiſſe, in illo actu cur. non quidẽ ad fauorẽ dicti Petri Lagaſa, & aliorum qui in dicto actu curiæ nominãtur, neq; ad ampliationẽ gratiæ cõceſsionis facultatis diſponendi de officio portariæ, ſed potius ad diminutionẽ, & moderationẽ, dictæ gratiæ appoſita fuiſſe. Quod, vel inde patere dixi, quia ſi illa verba addita nõ fuiſſent, arbitrium, ſatisfactio, vel placitum, deputatorũ, non erat neceſſariũ, ſed vellent, nolent, ipſi Deputati, admittẽda erat perſona, quæ tamen alias habilis eſſet, cũ ea nominatio a lege concederetur, cum ergo, additũ fuerit, *a ſatisfacion y guſto de los Diputados,* limitata & moderata fuit dicta facultas

vt

vt videlicet præter id quod persona nominanda habilis & idonea de foro esse debebat, insuper, satisfacere, & placere deberet, ipsis deputatis. In quo licet arbitrium regulatum sit intelligẽdum, vt antea dixi, ipsum tamen regulatum arbitrium, latitudinẽ in se continet, etiam in persona quæ de rigore iuris alias habilis sit & idonea. *Iuxta nota. & rela. omissis nunc alijs, per Menoch. in d. q. 7. & q. 8. lib. 1. de arbitra.*

15 Quod ergo, ad moderationem & limitationẽ dictæ gratiæ in dicto actu curiæ additum fuit, conuerti non debet ad eius ampliationem, vel augmẽtum. *l. legata inutiliter, ff. tit. de lega. 1. & tit. de adim. lega. l. quod fauore, C. de legi. c. Quod ob gratiam, de reg. iu. in 6. cum nota vtrobique à glos. & DD.* Extenderetur autem vel augeretur, gratia prædicta, si per illa verba, id quod alias illis remotis, requisitũ videlicet idoneitatis, vel habilitatis personæ, de iure, quod iuxta prædicta præsupponendum erat, tolleretur, vel remitteretur. Quod, apertius colligitur, ex illis verbis: *Pues las tales nominaciones sean en personas benemeritas,* quæ præcedunt & coniungũtur, cum illis. *A satisfacion y gusto de los Diputados.* Illud enim verbũ, *benemeritas* nõ solũ præsupponit & inuoluit, personam habilem, & idoneam de iure esse debere, sed etiam gratam seu benemeritam de ipsa Deputatione. Licet enim qui benemeritus est, habilis quoq; vel idoneus, eo ipso saltẽ præsuppositiuè, etiã sit: nõ verò ècõuerso, sequitur, ex eo quod quis sit habilis & idoneus, statim eundem ipsum, & benemeritũ esse. Quo modo certè, verus, proprius, & peculiaris, ipsius actus curiæ, sensus, assignari & reddi videtur, ex phrasi & loquutione eiusdem actus curiæ desumptus.

16 Ex cuius quidẽ act. cur. eadem phrasi & loquutione, nõ nihil etiam ad decisionem huius causæ, colligi in vocis informationibus, dicebam. Obseruandũ enim esse dixi, quod postquam dixit: *Pues las tales nominaciones sean en personas benemeritas, &c.* postea de eisdem personis relatiuè loquens, dixit, *los quales assi nombrados, &c.* Quasi mutatione styli, vel phrasis, fœminas a dicta concessione (Præter id quod iã a iure inerat) reiecerit. Absurda enim esset & insipida loquutio, dicere: *Pues las tales personas, los quales, &c.* sed vt daretur intelligi, sub verbo illo, *Personas*, quod erat æquiuocum, viros solum, non autem fœminas, intelligere

vo-

voluisse. Cōferunt quæ de masculino, vt non comprehendat fœmininum, vbi standum est carthæ, quia id per extēsionem fieret, *ex l. Pronuntiatio. in prin. ff. de verbo. signifi. l. in adoptiuis, versi. Quæ in filio. C. de adoptio. not. aliis relatis, Dec. in eadem illa l. fœminæ, nu. 93. & 101. cum nota. & rela. à me nuper, in secunda allega. impres. pro D. Sala. nu. 25. & per Mol. in verbo filius, fol. 141. col. 4. vbi Pleba. nu. 34. & seqq. & in verbo fori, nu. 25. & seqq.*

17 Postremò, nolo omittere, id quod ferè in discessu à vocis informationibus, & a Consilio menti occurrisse, dixit. videlicet, illud quod in sacris literis, Ioan. 18. enuntiatur, de ancilla ostiaria, si quis illud opponeret quasi non abhorreret ab vsu, dictā Lagassa, aduersantē, portariā vel ostiariam esse: Nō inquā illud solum, inordinatum vel deprauatum, in domo Annè, vel Cayphæ fuisse. Vel illud quidem ancillæ ostiariæ officium, non ad ministeria publica, respexisse sed ad ipsius domus custodiam, vbi aliæ etiam ancillæ & mulieres aderant, vt ex eisdem sacris lit. colligitur. Idq; vt non ideo desineret abhorrere a sensu, vt Deputationis portaria vel ostiaria daretur, cui officio, munera virilia, & publica, incumbunt, vt superius in principio dictum fuit, fœminis prorsus repugnantia. Vt meritò, ex his omnibus Deputati ex consilio, tót Aduocatorum præstantissimorum, dictum actum curiæ, in iudicando sic inter pietati fuerint, quorum tanquam plurimorum, integrū videtur fuisse iudicium, *argumento tex. in c. Prudentiam, ext. de offi. delega.* Eorum tamen iudicium, & supradicta, iudicio Dominorum Locumtenentium subiiciuntur.

Doctor Philippus Gazo.